

Mandatum A

Si quid vel addas vel detrahas, prevaricatio videtur esse quedam mandati. Simplex enim et pura mandati forma tenenda est vel testimonii series intimanda. Nichil igitur quod bonum videtur addendum est.

Augustinus in libro de paradiso.

Mandatum B

Si quis unum mandatum custodiat et aliud prevaricatur, nil ei prodest.

Ibidem.

Mandatum C

Tu qui veram requiem que post hanc vitam christianis promittitur queris, est hic eam inter amarissimas vite huius molestias suavem iocundamque gustabis, si eius qui eam promisit precepta dilexeris.

Augustinus.

Mandatum D

Non est amicus recti, quando si fieri posset, mallet id quod rectum est, non iuberi.

Augustinus super Psalmum 66.

Mandatum E

Non ideo putes aliqua contemnenda esse mandata quia leviora sunt, tam enim maxima illa quam minima imparata sunt, et contemptus cuiuscumque precepti precipientis iniuria est. In quovis proposito, in quovis gradu equale peccatum est, vel prohibita admittere, vel iussa non facere.

Hieronymus in epistola.

Mandatum F

Iussa sine culpa non negliguntur, et sine crimine non contemnuntur.

Bernardus de preceptis et dispensacione.

Mandatum G

Contemptus in omni spem mandatorum pari pondere gravis et communiter damnabilis est, neglectus autem in fixis gravior, tolerabilior in mobilibus mandatis.

Ibidem.

Mandatum H

Sive Deus, sive homo vicarius Dei mandatum quodcumque traderit, pari profecto obsequendum est cura pari reverencia deferendum, ubi tamen Deo contraria non precepit homo.

Bernardus ibidem.

Mandatum I

Sunt mandata que duris atque carnalibus imponuntur animus ex lege vite et discipline, et sunt olea dispensacionis que infirmis et pusillis corde misericordie apponuntur, et sunt consiliorum solida forciaque que ex intimis sapiencie proponuntur sanis.

Bernardus super Cantica.

Mandatum K

Prelati visio vel prohibicio non pretereat terminos professionis, nec ultra extendi nec contrahi citra debet. Nil me prelatus prohibeat horum que promisi nec plus exigit quam promisi.

Bernardus de preceptis et dispensacione.

Mandatum L

Mandata Moysi in actu facilia sunt ut non occidas et ideo in remuneracione modica et in peccato magna sed mandata Christi, ut non irascaris, in actu difficilia et ideo in remuneracione magna et in peccato minima.

Chrysostomus super Mattheum 6.

Mandatum M

Merito dedit preceptum qui premisit exemplum.

Cassiodorus super Psalmos.

Mandatum N

Nichil arduum humilibus, nichil asperum mitibus et facile omnia precepta veniunt in effectum quando et gracia preedit auxilium et obediencia mollit imperium nec dura ibi necessitate servitur ubi diligitur quod iubetur.

Leo papa in apparicione Domini.